DISSERTATIO IURIDICA DE CARNIFICE FAMA NON LABORANTE CUI ADIUNCTAE...

Abraham Kästner, Christian Heinrich Breuning, Valenti Gonzaga

ILLVSTRI
ATQVE
EXCELLENTISSIMO
DOMINO
GOTTFRIDO. LANGIO
ICTO. DEXTERRIMO
DOMINO. HAEREDITARIO
IN. MOECKERN
POTENTISSIMO. POLONIARVM. REGI
ET. PRINCIPI. ELECTORI. SAXONIAE
SERENISSIMO. A. SANCTIORIBVS. IN. RE. MILITARI
CONSILIIS. CVRIAE. SVPREMAE. PROVINCIALIS. ET
SCABINATVS. ADSESSORI. CONSISTORII. DIRECTORI
CIVITATIS. LIPSIENSIS. CONSVLI. TEMPLI. THOMANI
ANTISTITI. IN. COLLEGIO. MAIORI
PRINCIPVM. SOCIO
CAET.

ATQVE

ILLVSTRI

AC

EXCELLENTISSIMO

DOMINO

CHRISTIANO. LVDOVICO

STIGLIZ

ICTO. INSIGNI

POTENTISSIMI. SARMATARVM. SAXONVMQVE. ET. REGIS. ET. PRINCIPIS. A. SECRETIORIBVS REI. MILITARIS. CONSILIIS. IVDICIIQVE. AD. QVOD PROVOCATIONIBVS. CERTATVR. CONSILIARIO SCABINATVS. ADSESSORI. CIVITATIS. LIPSIENSIS CONSVLI. H. T. REGNANTI. TEMPLI. DIVI PETRI. ANTISTITI

CAET.

VIRIS
MAXIMA. DIGNITATE
CORVSCANTIBVS
DE. REIPVBLICAE. SALVTE
INDEFESSIS
CIVES. SVOS. VERO. AFFECTV. PATERNO
GVBERNANTIBVS
ET
DE. SINGVLIS. MVNERIBVS. QVIBVS. PRAESVNT
LONGE. MERITISSIMIS
PATRONIS. OPTVMIS. MAXVMIS
SVMMA. MENTIS. PIETATE. ET. REVERENTIA
SPECIMEN. HOC. ACADEMICVM
DEDICATVM. SACRVMQVE. ESSE
IVBET
SEQVE
EORVM. VALIDISSIMO. SVMMOQVE
PATROCINIO
QVOD
PIE. VENERATVR
COMMENDAT
TANTORVM. NOMINVM

DEVOTISSIMVS. CVLTOR
AVCTOR. ET. RESPONDENS
CHRISTIANVS. HENR. BREVNING.

DISSERTATIO IVRIDICA

DE

CARNIFICE FAMA NON LABORANTE.

§. I.

De Carnifice quaedam dicturus, initium a definitione, quam nominalem vocant, merito faciendum esse existimo. Cum vero in enucleanda *Etymologia*, *Homonymia* et *Synonymia*, haud raro Criticorum misera diligentia deprehendatur, vt sic cum ICto SCAEVOLA *ex l. 88. §. 17. de leg. III.* loquar, breuis, quantum fieri potest, in horum omnium euolutione ero, ita vt neque in excessu neque in defectu peccasse videar.

§. II.

Definitio carnificis nominalis.

Deriuant *scilicet* haud pauci vocem *carnificis* a carne facienda: quia carnifex ex hominibus carnem facit, *i. e.* homines interficit. *v. cap. significante. 69. X. de adpellat.* Et iuxta latinitatem *medii aeui* laniones, vti hodie vulgariter vocantur, *carnifices*, Fleischmacher, dicti sunt; Hinc priuilegia carnificum; der Fleischer Innungs-Brieffe. *v. de* LVDEWIG *in indic. Halens. ad ann. 1732. n. CXXVI. §. 3. in notis. n. 7. p. 397.* Idem ex ALBERTO ARGENTIN. refert KRESS. *in Comment. ad Const. Crim. p. 256. edit. nou.* Synonymice vocatur. a) tribulator. Hinc TERENTIVS in ANDR. Act. IIII. Sc. I. dicit:

Quantusque hic suis consiliis mihi confecit sollicitudines
Meus Carnifex.

 b) *Cata-*

b) *Catachrestice* pro lanione, *per cit. cap. 69. X. de appellat.* ibique CVIACIVS. c) *Custos Carceris. v.* LIVIVS. *L. VI. c. 17.*

§. III.

Continuatio definitionis nominalis.

Apud ITALOS audit *Manegoldus*, teste RIPA. *tr. de peste c. 4. n. 118*, cuius denominationis rationem *vide* apud BEIER. in dissert. *de expens. execut. criminal. vulgo* Hencker-Geld. *cap. I. §. 10.* GALLI eum vocant: *Bourreau*, item *l'executeur de la haute justice, i. e.* executorem supremae iustitiae. *v.* CORASIVS *in annot. arrest. Parlamenti Tholosani. p. 233.* GERMANI varia ipsi imponunt nomina. Eum enim dicunt Angstmann. *v.* BRVNNEM. *in Proc. crim. c. VIII. membr. V. n. 44.* Freymann, *v.* BÜRGER, *in obseru. milit. cent. II. obs. 65. p. 364.* Noth-Bothe. *v. Acta Lindau. fol. 844.* Meister Hemmerling, ob crudelitatem, qua saepe in homines saeuit. LVTHER. in scriptis suis eum saepe vocauit Meister Hanß. *v.* CARPZOV. *Qu. 137. n. 51.* aliquando etiam ob peritiam in sua arte appellatur Meister Bix, communiter-Nach-Richter, *h. e.* iudex secundarius, tanquam cessante et peracto iudicio, in quo causa fuit peracta, incipiat demum sanguinarium hoc iudicium, vnde et alio germanico nomine venit: der Scharff-Richter, *v.* BEIER. *c. l.* alias adhuc denominationes habet MYLIVS in diss. *de iure carnificum, Cap. I. §. 3.* quibus diutius immorari non placet.

§. IV.

Definitio realis.

Missis itaque reliquis, quae adhuc circa nomen adduci possent, ad realem progredior definitionem. Haud inconcinne vero mihi videtur definiri, (*vel si mauis describi*) posse, quod sit *persona, publica auctoritate constituta, ad sententias in causis criminalibus latas, si reipublicae salus id suadeat, rite exequendas.*

§. V.

Modus e medio tollendi facinorosos, apud varias gentes varius fuit, et adhuc est.

Modus tollendi e medio hominem Reipublicae nociuum, apud varias Gentes, varius et fuit et adhuc est. Exemplis rem illustrabo. ARISTOTELES *Lib. VI. Pol. c. VIII.* Magistratibus suorum decretorum executionem demandat ipsis, vt reuerentia quaedam iudicibus accederet. In Gente *Iudaica* nulla certa persona ad noxios interficiendos erat constituta, sed variis expedie-

apud Iudaeos.

batur modis executio; vide *de Lapidatione* DEVTER. *c. XVII, 7.* LEVIT. *c. XXIV, 15. seq.* aliam executionem gladio peragendam exhibet

exhibet EXOD. *c. XXXII, 27. 28.* Aliam, poenam *lapidationis et ignis* recenset IOSVA. *c. VII, 25.* Sic quinque reges e spelunca extractos, nec non alium *Amalekitarum* regem AGAG nomine, per IOSVAM et SAMVELEM occisos, ostendit IOS. *X, 26.* et I. SAMVEL. *XV, 33.* [a]) Hinc BODINVS *de Republ. Lib. III. c. VII.* scribit: *Olim apud Iudaeos ipsos sacerdotes munus carnificis subiisse.* In *Anglia* proximi cuiusque parentum, fratrum, propinquorum, qui modo in crucem aguntur, extremum pietatis officium est, agere carnificem, iisque de trabe humili pendentibus, gulam frangere. *v.* BODIN. et REINKING. *l. c.* Simile apud milites videri potest, vt qui ad sclopeta damnantur, quo catapultarum ictibus conficiantur (daß sie sollen arquebousiret werden,) id a fidissimis commilitonibus fieri exoptent. In concilio *Flandriae* primo Praetori, qui Principis vices gerit, committitur executio facinorosorum, *teste* DAMHOVD. *Prax. Crim. c. 152. n. 2.* In famosa ciuitate *Reutlinga*, iunior ex senatu olim exequebatur sententiam, *v.* BESOLD. *Thes. Pr. in addit. voc.* Scharff-Richter, ibique gladium in curia etiamnum adseruari et exhiberi, tradunt GEORG. RITTERSHVS. *de iure Asylor. p. 66.* et FELWINGER. *in Iudice, p. 841.* Apud *Russos* moris esse, vt absenti carnifici, lanii succedant, narrat OLEARIVS *in Itin. Pers. Lib. III. c. XX. in fine.* De Bohemia refert ZEILER. *epist. 16.* ibidem loco carnificum opiliones adhiberi, cuius rei se testem ocularem vocat; Vnde natum prouerbium: Der Schäffer und der Schinder, sind Geschwister Kinder. *v.* IO. MELCH. LVCIVS *de damno famae declin. et repar. Sect. III. membr. 1. §. 13.* In *Franconia* alicubi receptum testatur CAMERARIVS, vt maritus recentissimus furi cruciario funem innectat, et signo dato, confestim omnes loci ciues, imprimis *quatuor sculteti* operas conferant, (quod vocant

apud Anglos. *apud milites.* *In Flandria.* *Reutlingae.* *apud Russos.* *apud Bohemos.* *apud Francos.*

a) Scimus quidem optime, hos actus non executiones sententiae tanquam in facinorosos, sed militares saltem ab aliis vocari; *Paraphrastes* etiam *Biblicus* mandato potius, quam manibus ipsorum tribuit. Nihil vetat tamen bellum cum Iudicio, et occisionem vtrobique obuiam comparare. *arg.* 1. SAMVEL. *XIV, 47. in fin.* Et cur negemus actus illos suis Heroas peregisse manibus, cum et GIDEON primogenito suo iniunctam SEBAE et SALMVNAE occisionem non audente, non cessauerit, prouocatus ab iisdem, hoc facere. IVDIC. *VIII, 20. seq. conf.* REINKING biblische *Policey. Lib. II. axiom. LV. p. 245.* vbi varia huc pertinentia adducit.

cant Hunen.) furemque de annosa et mutilata quercu, cui nomen Knüpffel-Baum, suspendunt, *referente* DOEPLERO *in theatr. poenar. P. I. c. VI. p. 527. seq. conf.* PRAESES *in supplement. Bertoch. voc. Carnifex.*

§. VI.

Hi mores aliis displicuerunt. Mores vero, de quibus dixi, multis displicuisse, ab aliis traditur; imo in ipso populo Iudaico non semper obtinuisse, exempla regis SAVLI *1. Sam. XXI, 17. 18.* nec non SALOMONIS *1. Reg. II. v. 25. 34. et 47.* adducunt, vbi munus interficiendi certis personis demandatum fuit. Vt vero magistratus ipse carnificem agat, sententiamque a se latam exequatur, cum dignitate ipsius pugnare credunt plerique, cum hic etiam, pro tuenda ipsi reuerentia debita, per ministros sententiae executionem peragere queat. Vt taceamus, (*quod multi proferunt*) crebra hac sanguinis humani effusione sensim immaniores, magisque crudeles futuros magistratus, (*quos tamen ipsis Diis similiores nihil, quam clementia et mansuetudo facere solet*;) plane, vt laniones ex crebra pecorum mactatione sanguinis euadunt sitientiores.

§. VII.

In quibus consistat officium carnificis. Cum itaque a Carnifice *sordida* fere et *crudelia* omnia expedienda sint. *e. g.* igne, gladio, cruce, rota, raptatione ad locum supplicii, forcipibusque ardentibus lacerando membra, delinquentes *punire*; Vlterius *exscindere* linguas, *abscindere* nares, labia, aures, *amputare* manus, digitos, *suffocare* sub aquis, *elicere* veritatem sub tormentis, *caedere* publice virgis et fustibus, et quae sunt similia? *v.* DOEPLER. *in theatr. poenar. P. I. c. VI. §. 35. p. 548.* Quis quaeso asserere audet, eiusmodi quid a Magistratu ipso, salua illaesaque existimatione fieri posse? Merito proinde successu temporis officium hoc in assiduam commigrauit certorum hominum expeditionem, ac munus ordina-*apud Romanos milites egere carnifices.*rium factum est. Romani sane militibus suis, quos *lancearios* et *speculatores* dicebant, id muneris commendatum voluerunt. IVLIVS FIRMICVS, *Lib. VIII. cap. XXVI. Speculatores*, inquit, *faciet, qui nudato gladio hominum amputant ceruices.* Horum

ΛΑΤΩΡΑ ἐκέλευσεν ἐνεχθῆναι τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ. vbi LVTHERVS ſpeculatorem vertit carnificem: und bald ſchickte hin der König den Hencker und hieß ſein Haupt herbringen.

§. VIII.

Hodie vbique fere locorum certa perſona ad ea, de quibus *ſ. praeced.* dictum expedienda, publica autoritate conſtituitur, ſpecialique in officii ſui ingreſſu iuramento conſtringitur, vti apparet *ex* C. CRIM. *a. XCVI. verbis* bey ſeinem Eyde gebiethen. Formulas iuramentorum carnificum refert DOEPLER. *in theat. poen. P. I. c. VII. n. XXVII. p. 541. ſeq.* b) Iuxta RECESSVM IMPERII *de Ao. 1530.* diſponitur, vt carnifex ſemper certo veſtitu c) incedere debeat, quo a reliquis ciuibus dignoſci poſſit; Haec vero diſpoſitio in plerisque locis negligitur. Quid ipſi pro ſingulis actibus expediendis in Electoratu noſtro ſoluendum, TAXA *ſportularum de An. 1724. Tit.* derer Gerichts-Frohnen-Land- und Stadt-Knechte, auch Nach-Richter-Gebühren, conceptis verbis late oſtendit.

Apud nos hoc officium certae perſonae datum eſt.

§. IX.

Diſtinguunt quidem inter *carnificem* et *excoriatorem*, ita vt ille ſit, qui in ſpecie ſententiae executionem facit; hic vero, qui ſordida quaeuis alia expedit. Iſtum vocant den Scharff- oder Nach-Richter, hunc vero einen Caviller, Feldmeiſter, Abdecker oder Schinder. Hae tamen functiones vbique diuerſae non ſunt, ſed multis in locis iuxta carnificinam hominum, carnifices etiam aliarum beſtiarum et cadauerum excoriationem exercent. Er agiret ſelber einen Racker, Schinder oder Abdecker mit. Conſueuerunt nimirum carnifices iuxta modo dicta, profeſſioni excoriationis, tanquam iuris priuati factae, et lucrum quoti-

Diſtinctio inter carnificem et excoriatorem.

Interdum carnifex et excoriator non ſunt diuerſi.

b) In Imperatorum curiis in Germania noſtra, carnificum vſus ſat mature coepit, vt ex decollatione comitis GERONIS, iuſſu OTTONIS II. factae apud DITMAR. *p. 343. Tom. I. Rer. Brunſuic.* CHRONOGRAPH. SAXON. *p. 190.* conſtat. *v.* KRESS. *ad Conſtit. Crim. art. XCVI. ſeq. §. 2. n. 2. p. 255. ed. nou.* patet.

c) Hanc conſuetudinem in Gallia etiam obſeruari oſtendit GVILIELM. BOVCHET. *Lib. II. Serées. Ser. 14. fol. 83.* vbi verba: *En quelque contrée de France ſe pratique, que le bourreau a une potence au devant de ſon veſtement, et l'eſchelle par le derriere.*

quotidianum certiusque ferenti, studiosius incumbere, pecorum morbidorum, coriorumque negotiationem exercere, quem in finem *officinas priuilegiatas* die Meisterey *vel* iure feudi [d]) *vel* dominii *vel* conductionis lege possident. Formulas eiusmodi contractuum varias recenset DOEPLER. *in theatr. poen. c. l. n. XXXIII. p. 545. seq.* Poenarum autem criminalium executionem, quia rarius, pro annuo salario, Wart-Geld conducuntur, saltem inter accidentia, et vt Parergon habent, *v.* BEIER *cit. dissert.* vom Hencker-Geld. *cap. I. §. 15.* Excoriator, si vt persona distincta consideratur, alicubi vocatur Peinlein et carnifici in tortura atque executione auxiliatrices manus porrigit. *v.* Bambergische Hals-Gerichts-Ordnung. *art. 258. et 260.* Hic autem neque ad supplicii poenam exequendam, neque ad actum torturae adhiberi debet, nisi in casu necessitatis, quia incertum est, an artis suae gnarus et modum in torquendo receptum seruare queat. *v.* BEYER. *ad Const. Crim. art. XCVI. pos. 12. in addend.*

Excoriator etiam est persona distincta.

§. X.

Quis possit carnificem agere.

Ad officium carnificis non quilibet admittendus, sed, vti alias in distribuendis muneribus, habito respectu personarum proceditur, sic in carnificis constitutione debita etiam inquisitio instituenda. Recenset CARPZ. *Qu. CXXXVII. n. 52. ex* DAMHOVDERO sequentia requisita: *Eligendi autem*, inquit. *sunt carnifices, qui non sunt aleatores assidui, publici scortatores, calumniatores improbi, blasphematores impii, fures, sicarii, homicidae, latrones, aut qui similibus vitiis nec sunt, nec fuerunt obnoxii, sed qui sunt boni, in officio suo gnari, certi et imperterriti, probi, mites, humani, misericordes, affabiles; qui torquendo reos mitius alloquantur, clementer tractent, pie humaniterque consolentur, ad patientiam Christianam, ac certam in DEVM fiduciam cohor-*

d) Exemplum de Ducatu Halberstadiensi refert STRYCK *in E. I. F. cap. IIX. qu. vlt.* An vero carnificina recte ad Regalia referatur, inter *Dd.* controuertitur. Negatiuam tuentur *ICti Vitebergens.* vti patet ex praeiudicio, quod exhibet ZIEGL. *de Iur. Mai. L. I. c. III. th. 19. p. 78.* Quia tamen ad Regalia referri videmus, quae tamen nec lex nec mores referri patiuntur, ab aliis affirmatiua defenditur. *v.* HORN. *Iurispr. feudal. cap. VIII. §. 53. p. 146.* Vbi etiam huc pertinere dicit VESPASIANI vectigal vrinarium.

cohortentur. e) Hic vero adhuc illud adiungere necesse est, eum qui ad carnificis munus adspiret, non debere esse *coecum, mutum, surdum, manibusque destitutum*, quia haec corporis defectus impediunt, quo minus is officium suum adimplere possit. *v.* MYLIVS *de Iur. Carnif. Cap. III.* §. 2.

§. XI.

Considerata huc vsque carnificis persona, inquirendum nunc, vt videamus, an munus ipsius ita sit comparatum, vt propterea infamia quadam laboret? Haud pauci affirmatiuam tuentur, qui rationes sequentes fere adducunt: I) quia licet officium hoc sua natura nihil infamiae vel improbitatis contineat, gerentes tamen, vt plurimum non iustitiae zelo, nec cum tanta commiseratione et humanitate illud gerunt, quae ipsos deceret. *v.* CARPZ. *Qu. CXXXVII. n. 58.* praecipue vero in torturis infinitas admittunt nequitias. *v.* OLDEKOP. *obs. crim. XII. p. 212. seq.* vbi in specie tractat: *de fraudibus carnificum circa indicia et torturam, iisque auertendis et euitandis.* II) Quia carnifices plerumque cadauerum excoriationem simul a superioribus conductam habent, *v.* §. *praec. IX.* hoc autem viuendi genus non nisi animi ieiuni, abiecti et sordidi, publicis iudiciis condemnati *aut* alias ciuitate priuati et bipedum nequissimi, eligere solent, prout id late demonstrat DAMHOVD. *Pr. Crim. cap. CLIII. n. 6.* GOEDD. *ad l. 103. de V. S. n. 3.* vt ita quidem officium non ipsos, sed ipsi potius suo vitio polluant officium, quare propterea ad *vilissimas personas* referantur. *v.* STRVV. *Exerc. VII. th. XX.* RICHT. *P. I. Dec LIII. n. 6.* Hinc THOM. GARZON. *nella piazza vniuers.* (im Schauplatze der Welt.) *discors. LXXXVII.* satis scoptice ac vehementer perstringit carnifices; Ex quo autore, cum non in omnium manibus deprehendatur, huc pertinentia, verbis ipsius recensebo. Sic autem ille: Die Herrlichkeit des Henckers, welcher anstatt seines Zepters das blutige Schwerd in der Hand

An Carnifex infamis sit? Affirmantium rationes et quidem. I.

II.

e) Inde iudicarem ego, nec haereticum ad carnificis officium admitti posse, quod haereticus neque in imperio tolerari, neque ad munus publicum admitti debet. *v. l. 1. C. de haeret. et Manich.*

Hand führet, und deßen Thron der lichte Galgen ist, ward von denen Römern also gehalten und geehret, daß ihm nicht allein die Römische Bürgerschafft verweigert, sondern er auch als ein Frey-Herr allein und auser der Stadt in einem besondern zugeeigneten und befreyten Orte, wie es denn seiner Herrlichkeit wohl angestanden, wohnen müßen. So wird er auch beydes in Geist- und weltlichen Rechten für *infam* gehalten und seine *Magnificenz* gleichsam als ein wildes Thier, von der Gemeinschafft anderer ehrlicher Leute abgesondert, und gemeiniglich mit seiner Wohnung und erbaren Haus-Gesindlein in einen solchen Ort verstecket, da die liebe Sonne auch nicht gerne ihre Strahlen hingelangen läst. Haec GARZON. qui *cit. loc. disc. CL.* simili fere

III. modo *lictores* depingit. III.) Quia carnificium *seu* carnificum officium probrum ciuile est, FORNERIO *notante* ex DIONE *in Orat. de Venat.* et CICERONE *in Orat. pro* CAI. RABIR. *cap. V.* vbi scribit: *Sed moreretur prius acerbissima morte millies* GRACCHVS *quam in eius concione carnifex consisteret, quem non modo foro, sed et coelo hoc ac spiritu censoriae leges atque vrbis domicilio* f) *carere voluerunt.* g) *v.* FLACCVS *declam. 4. Cibus*, ait, *recusantibus spurca manu carnificis ingeritur.*

IV. GOEDD. *ad l. 42. n. 10. de V. S. p. 502.* IV.) Quia nec ipsos carnifices nec alios, qui cum iisdem saepius familiariter conuersantur, in numero ac societate honestorum opificum tolerandos esse, hodie vulgo putatur, vti docet *Respons.* SCAB. LIPS. apud CARPZ. *Quaest. CXXXVII. n. 59. addat.*

V. RICHTER. *P. II. Dec. LXXX. n. 2. 3. 13.* V.) Quia nec in templo

f) Locum vbi carnifex habitare tenebatur, SEXTRICIVM mominabant, quia semitertio ab vrbe milliari distabat, quo in loco cruces, patibula defixa, cadauera abiecta, aliaque ad supplicia facientia, erant parata. *v.* ALEX. *ab* ALEXAND. *L. III. gen. dier. cap. III.* ROSINVS *antiquitat. Lib. VII. c. 48. in fin.*

g) Ex eadem ratione honestiores inter ciues alicubi lanii non tolerantur, sed extra moenia: vt apud *Rhodios. v.* KIRCHMANN. *Lib. II. de fun. Rom. c. XXIV.* et *Romae* extra portam *Metiam. vid.* PLAVT. in PSEVD. hodieque apud THOLOSATES. *vid.* BODINVS *de Republ. Lib. IIII. cap. 8. reiiciuntur. vid.* BESOLD. *Polit. Lib. I. c. XI. §. 9. n. 75.*

templo honeſtioribus aſſidere carnifici licet, ſed ſeparatim ſedilium ſuum habere debet; ſicut reſponſum eſſe in *Conſiſtorio Lipſ. 1624.* teſtatur SCHILTER. *in Inſtit. Iur. Can. Lib. II. Tit. VII. §. 7. p. 324.* VI.) Quia de iure canonico irregularitas et infamia quaedam ex quouis contrahitur homicidio, adeo, vt tam iuſte nemo hominem occidere queat, quin aliquid labis et notae contrahat. *arg. c. infames. VI. qu. I.* ZAHN *de iure munic. c. XXXIII. n. 5.* VII.) Quia ex horrendi muneris profeſſione ſuſtentationem ſui ſuorumque ſectatur, et quia VIII.) omne ipſius munus cum infamibus perſonis, publicis ſiquidem iudiciis condemnatis, quosue iuris infamia ſequitur, *v. l. 7. de public. iudic.* occupatur. Cui ſententiae adſtipulantur multi ex ICtis non infimi ſubſellii, ex quibus *v.* CARPZ. *Dec. XIIX. n. 12.* vbi ſcribit: *Carnifices paſſim locorum non modo famoſi habentur, ſed etiam exoſi et execrabiles ſunt omnibus, odiumque vulgi in ſe prouocant, etc.* idem aſſerit DAMHOVD *in pr. cap. CLIII. n. 6.* NOLDEN, *de ſtatu nobil. c. XXII. n. 92.* vbi dicit: *Carnifices eſſe de* TRIBV LEVI, et *Cap. XVI. n. 18.* viles et inhoneſtos nominat. FREHER. *tract. de infam. Lib. III. c. XXIV.* BESOLD. *in Colleg. Polit. Claſſ. I. diſp. XI. th. 75.* vbi etiam cum Politicis negat *carnifices* honeſtis ciuibus admiſcendos eſſe. DOEPL. *in theat. poen. P. I. c. IV. §. 56. p. 560.* ibi: *pro infamibus tamen omnium iudicio habentur.* BODINVS *Lib. III. de Republ. c. VIII. n. 361.* WILHELM. ZEPPER. *de LL. Moſaic. L. V. c. VII. alii.* Quod inprimis etiam intendere videtur *Reformatio* guter Policey-Ordnung zu Augſpurg. *de an. 1530. art. 20.* von Nach-Richtern.

VI. VII. VIII.

§. XII.

Carnificem non eſſe infamem rationibus his alii probant et quidem

Diuerſam vero alii amplectuntur ſententiam, carnificem non ſolum ab infamia liberando, verum etiam exiſtimationem quandam ipſi attribuendo, ob ſequentes rationes. I.) Quia carnifex, dum ſententiam latam exequitur, nil peccat, nec coram DEO fonte omnis iuſtitiae, nec coram mundo. II.) Quia DEI, iuxta PAVLVM miniſter eſt, non ſuorum affectuum. *v. c. officia. 16. XXIII. qu. 5. i. c. 3. eod.* III.) Quod carnifex in exequendo ſententiam nullum turpe factum committit,

I. II. III.

mittit, et hoc factum nullam turpitudinem moralem continet, quoniam alias lata ſententia effectu plane careret, et prouincia nunquam malis hominibus purgari poſſet, contra
IV. legum intentionem. *v. l. 3. de offic. Praeſid.* IV.) Quia ſi in ciuitate aliqua ſit nullus carnifex aut miniſter iuſtitiae, qui ſententiam capitalem exequatur, poteſt iudex propter vtilitatem publicam cogere aliquem hominem liberum, vt ſit carnifex, ſiue executor, etiamſi nihil deliquerit. *v.* BEIER. *de bonis damnat. th. 30.* Carnificis enim munus eſt publicum, ad quod aliquis cogi poteſt. Sic de FRANCISCO AVGVSTO THAVNO, (Magni IACOBI AVGVSTI *filio*) annoſus quidam mercenarius ſupplicium ſumſit, quia *Lugdunenſis* carnificis alterum crus fractum erat. *v.* BEIER. *cit. diſſert. ead. th.*
V. V.) Quia alicubi inter honeſtiores locus ipſis eſt, vti apud *Ceilonenſes*, referente *in hiſtorica* inſulae *Ceilon* deſcriptione
VI. IO. IAC SAARIO *p. 51.* hinc ſcribit VI.) BODINVS *de Republ. Lib. III. c. VIII.* executores iuſtiae in ordine praeferendos eſſe „pictoribus, ſtatuariis, ſculptoribus, pigmentariis, tibicinibus, „hiſtrionibus, ſaltatoribus, arenariis, ludionibus, pantomimis, „ſcenicis et mangonibus, *addita ratione:* quod hi ſordidiſſimis artibus turpiumque aut inaninium voluptatum efficientibus, non modo ciuium mores corrumpant, ſed etiam ciuitates funditus euertent: Carnifices vero egerendis ſordibus ac luſtrandis ciuibus neceſſarii eſſent. Quibus adiungimus id, quod LVTHERVS in der Kirchen-Poſtilla, *die Dom. IV. poſt Trinit.* ſcriptum reliquit. En eius verba: Meiſter Hannß iſt ein ſehr nützer, und darzu barmhertziger Mann, denn er ſteuert den Schalck, daß er es nicht mehr thue, und wehret den andern, daß ſie es nicht nachthun. Denn für ihm ſchläget er einem den Kopff ab, denen andern hinter ihm, dräuet er, daß ſie ſich fürchten für dem Schwerd und Friede halten. Das iſt
VII. eine große Gnade und eitel Barmhertzigkeit. VII.) Non deſunt *Dd.* Carnificem ab infamia liberantes. DAMHOVD in *Pr. Crim. cap. XVIII. n. 11. Nobis Chriſtianis*, ſcribit, *longe aliam mentem de hoc Magiſtratus officio atque miniſterio eſſe conuenit, qui non ignoramus iniuſtis hanc legem eſſe poſitam, atque hanc politicam iuris partem ad gloriam DEI, et ad Reipublibae,*

publicae tranquillitatem spectare, et carnificis, (seu magis iustitiae executoris) *officium prorsus esse necessarium*. Vlterius carnifices neque iuris neque facti infamia laborare ostendit WALTHER. *in tract. de priuil. Dd. c. IV. §. 21. p. 66.* Si enim honestum est iudicem sententiam ferre in homines sceleratos, quomodo illius executio turpis et facinorosa esse potest. *conf.* WILDVOGEL. *Respons. CCLXXXVI.* vbi longe disserit *de iure carnificis turbato.* Praeterea carnificem honestissimo et decentissimo munere fungi, post venerandum FACVLT. THEOL. TVBING. et LVDOV. DVNTE, *de cas. consc. q. 19.* asseuerat FROMMAN. in dissert. *de Leuis notae macula th. 22.* Eandem sententiam tuetur RIGHTER *Dec. XXC. n. 20.* vbi sequens *Scabin. Ienens.* responsum adducit. Daß kein Nachrichter seines Standes und Amts halber für unehrlich zu halten, immassen denn andere Leute, so mit ihm eßen und trincken, und nach Gelegenheit umgehen, derentwegen ihrer Aemter zu entsetzen, sich keinesweges gebühret, noch zuläßig ist. Idem statuit THOMASIVS *in diss.* sub eius auspiciis habita *Halae, de fama et infamia extra rempublicam. corol. XII.* vbi quaerit: *Vellem informari a perito, quando in Germania carnifices esse coeperint infames et ex qua ratione, quibus gradibus et quo successu? Conf.* IDEM in seinen iuristischen Händeln, *P. I. No. 2. §. 9. p. 185 seqq.* BARTH. *in Hodoget. forens. edit. nou. p. 1065. seq. num. 5. et 6.* Et sententiam, quae carnifici famam tribuit, fouere videntur: LIPSIVS *in excurs. ad* TACIT. *II annal. fol. 504.* ZORER. *part. II. qu. 18. n. 4066. seq.* KEKERMAN. *Lib. I. System. Polit. c. 17. p. 301.* NAVRATH. *de iure subdit. p. 605.* LIEBENTHAL. *in Colleg. Polit. exerc. 12. q. 12.* Denique carnificem neque infamia, imo, iis in locis vbi semel ius ciuitatis adeptus est, ne quidem leuis notae macula laborare, respondit *F. I. V. M. Iun. 1724. v.* WERNH. *Enunc. P. II. En. CCCCXIX.* IIX.) Et vltimo loco merito IIX. adducendum *Mandatum* wegen Abstellung derer bey denen Hand-Wercken eingeschlichenen Mißbräuchen. *sub dato* Wien den *16. Aug. 1731.* et publicat. *in Electoratu die 19. Octobr. eiusd. an.* in specie *§. IV. verbis*, In summa: keine Profeßion und Hanthierung, denn bloß die Schinder allein. Quae verba cum

ita

ita posita sunt, vt carnificem a fama et opificibus non excludant, neque is fama priuari poterit.

§. XIII.

Illustratur distinctio inter carnificem et excoriatorem quoad famam.

Cum vero §. *IX.* statuta sit distinctio inter carnificem et excoriatorem, ibique vero monitum, haec officia nonnunquam in vno homine coniuncta reperiri; limitatio hic aliqua adiicienda videtur. Cum enim per expressas et Imperii et Electoratus nostri leges (*vid. Mandat.* §. *praeced. alleg. de Anno 1731. edit. Viennae,*) aliqua macula excoriatoribus infligitur, statuendum erit, carnificem, qui simul exuuiarum detractionem exercet, inde non infamiam, (*quod nec excoriatores infames sunt*, notante SCHNEIDEW. *ad* §. *I. Inst. de inoffic. test. n.* 17. et CARPZ. *Part. I. Decis.* 17. *n.* 17.) sed maculam sibi contrahere, qua tamen is non laboret, qui solum executioni sententiarum inhaeret, quam sententiam adducit DOEPL. *theat. poen. c. l. n. LXXVII.* et ADRIANVS BEIER. *de bonis damnat.* §. *31.*

§. XIV.

Refutantur argumenta eorum qui carnifici famam auferunt.

Ex his ergo supra adductis argumentis patet veritati magis consentaneum esse, carnifici famam adhuc saluam et integram restare, nisi eam *vel* facto turpi legibus notato amittat, *vel* propter malitiosum viuendi genus inter viros graues et honestos male audiat. Nec opus est, vt multis rationes dissentientium §. *XI.* adductas refutemus, cum pleraeque circa rationes, quae *pro fama* carnificis §. *XII.* militant, iam sint remotae, quibus hic addimus DANHAVER. *in Theol. Consc. T. I. p. 2. Sect. 2. Nam qui*, inquit, *infamis sit status, qui a sancta origine DEO gladii auctore et consecratore, ad sanctum finem, vindicias, scilicet pacis Iustitiaeque sancta quadam sacrificali mactatione destinatus, sanctis exemplis IOSVAE magni illius Cananaeorum carnificis, BENAIAE herois aliisque gaudet?* Atque tandem ad ea, quod homicidio sibi labem et notam contrahat carnifex, diu respondit AVGVSTINVS, vti notat DOEPLER. *c. l. n. 59.* ita enim

iubenti, sicut adminiculum gladius vtenti, quemadmodum nec ille minister peccauit, qui iubente Dauid interfecit illum, qui SAVLEM regem fatebatur occidisse. cet. et parum infra: *Et vt semel dicam, sicut miles autoritate Principis hostem interficiens non peccat, sic nec minister iustitiae iudicis autoritate ac iussu fretus latronem aut alios sontes occidens peccare censebitur.* Quod vero ad id pertinet, cum extra vrbem habitare debeat, certe infamiam nullam inuoluit, alias enim multae absurdae sequerentur conclusiones; Carnifex igitur, non quod sit infamis, extra moenia ciuitatis habitare tenetur, sed ob hanc, quam communiter reddunt, rationem: *quod excoriatio, quae plerumque apud carnifices peragitur, commode in vrbe fieri non possit.*

§. XV.

Hodierni mores et iudicia circa famam carnificis.

Qui si tamen ad nostra tempora recurrimus, ea, quae ex sanioribus iurium principiis satis cognita sunt atque perspecta, contrariis consuetudinibus tractu temporis ex peruersa quadam ignominiosi laboris imaginatione fere immutata videntur. Neque enim ego inficias ire possum nostro seculo exiguam carnifici esse existimationem. Quis quaeso grauis vir exoptet sibi familiaritatem eius, qui solum victum sibi quaerit sanguinolento quasi labore? Indignum quiuis, qui bonam sibi curat famam, putat, eum eligere in amicitia coniunctione ac necessitudine demum, cuius manus semper humano sanguine madent, quique fere omnem humanitatem deposuisse videtur. Dirum enim maxima hominum pars iudicat, eum, qui nullam intulit iniuriam, iugulare, imo cum summo cruciatu atque ignominia, in maxima hominum corona interficere. Ita enim vulgi sunt iudicia. Haec forsan commouere CARPZ. *Qu. CXXXVII. n. 58*, vt dixerit: *Quicquid tamen sit de iure, opinione tamen hominum carnifices macula aliqua laborare existimantur, vt cum iis multum conuersari viro honesto probrosum habeatur.* Neque negari potest, in fama ponderanda hominum iudicia et mores et consuetudines in auxilium vocari oportere. Interim tamen, cum

cum de iure pugnandum sit, carnifici erit salua existimatio. Satis ergo haec dicta sint de fama carnificis.

§. XVI.

Fama vero carnificis perlustrata, vt rubro satisfaciamus, quaestiones quasdam huic materiae connexas adhuc paucis adducamus. Prima igitur esto: *Quis carnificem possit constituere?* Certum est carnificis officium maxime adnexum esse Iurisdictioni superiori aut mero imperio. v. DAMHOVD. *Pr. Crim. c. 155. n. 7. seq.* non vero regalibus, quod praeiudicio *Fac. Iur. Viteb.* confirmat ZIEGLER. *de Iur. Maiest. L. I. c. 3. §. 19. p. 78. seq.* Quis non inde concluderet, cum cui concessum est merum imperium ex rigore iurisdictionis, carnificem quoque constituere posse. v. MYLIVS *de Iur. carnif. cap. II. §. 1.* EYLENBERG. *de Iur. Carnif. c. II. §. 1.* et DOEPL. *c. l. §. XXVI.* Neque hoc solum de magistratibus in vrbibus, siue sint maiores, *vel* minores, vt putat ZAHN. *de municip. c. 35. n. 2.* dici potest, sed etiam nostris moribus, nobilibus, quibus merum imperium, a Principe concessum, ius carnificem eligendi confirmandique recte competet. Quocirca etiam in tutela et securitate magistratus est. Hinc vbique fere locorum, et in specie IVRE PRVTENICO, *Lib. VI. Tit. XI. art. 3. §. 2.* omnibus ac singulis, qui supplicio, quod de reis sumitur, vnquam spectatores erunt, secure, et sub poena indignationis mandatur, vt ab omni vi et impetu abstineant. *cet.* IVRE autem LVBEC. *L. IV. tit. XVIII. art. 1.* hoc modo cauetur: Würde sich iemand so keck düncken laßen, er sey jung oder alt, der sich an dem Bödel oder Frohnen, oder auch seinen Dienern in Verrichtung seines Amts, der *Iustitien* unangesehen, ob ihm mißlingen möchte, mit der That und Hand, in was Weise solches geschehen könte, oder möchte, vergreiffen, beschuldigen oder verletzen würde, der oder dieselbigen solten mit ihren Helffern, wenn sie angeben und überwiesen, am Leben mit dem Schwerd gestrafft werden. Rationes huius rigoris adducit MEVIVS *ad cit. art. n. 6. p. 864.* Idem statuitur in CONST. CRIM. art. XCVII. ad quem vid. com-

Quis carnificem constituere possit.

Constitutio carnificis adhaeret mero imperio.

Carnifex est in tutela magistratus.

mentat. Hanc dispositionem fere legimus in der Fuß-Knecht Bestallung von Speyer *de Anno 1570. §. 66. verbis.* Es soll auch ein jeder die Nach-Richter. rc. porro IMP. MAXIMIL. II. Articuls-Brieff. *Art. 66.* FERDIN. III. Articuls-Brieff. *sub dato* Wien den *12. Octob. An. 1642. art. 71.* et plura adducit GRANZ. *in def. inquisit. Cap. IV. Membr. I. Sect. VII. n. 120.* quam opinionem praeiudiciis confirmat RICHT. *Reg. Iur. II. p. 13. in fin.* IACOB ALEMAN. *in Palaest. Consult. IX. p. 946. seq.* THOLOS. *L. 31. Synt. c. f. n. 7. conf.* omnino CARPZ. *Qu. CXXXVII. n. 66.* Interim tamen notandum si carnifex male satisfaciat suo officio distinguendum esse: si id fortuito contingat, carnifici nihil imputari, neque eum puniri posse. *a. L. 5. §. 4. ff. Commod. et L. 23. in fin. ff. de R. I.* Hinc DEDEKENN. *Consil. Vol. II. fol. 44. seq.* carnificem, *scribit,* qui, (*citra culpam suam*) male officio suo fungitur, lapidibus obruere velle, est peccatum contra DEVM et ipsam iustitiam. *conf.* WENDELIN. *doctr. Polit. L. II. c. 19.* At si vero vel malitia vel negligentia occurrat, tunc omnino a magistratu punitur carnifex, vti ostendit GRANZ. *c. l. n. 118.* et CARPZ. *c. l. n. 68.* vbi responsum *Scab. Lips.* ita adducit: Hat der Scharff-Richter bey euch H. B. und J. H. mit dem Schwerd dermasen übel gerichtet, daß er ihnen die Köpffe abschneiden müßen; So wird er deswegen mit zeitlicher Lands-Verweisung billig in Straffe genommen. Et carnifici, quod caput repetitis demum ictibus, satis imperite delinquenti praesecuisset, *octo dierum* carcerem dictarunt *Scabin. Lips. M. April. 1699.* quale praeiudicium et alia huc pertinentia refert PRAESES *in Supplement. Promt. iur. Pract. Bertochian. voc.* Carnifex. *p. 149. seq.*

Carnifex an puniendus, si male iudicatum exequatur?

§. XVII.

Altera vero Quaestio oritur, *An carnifex medicum agere possit?* Huius litis explanatio praesupponit aliquam vulgi opinionem, vbi asserit, carnificem *priuilegia Doctoratus* assequi posse, si certum numerum expleuerit amputando. Vocant illud zum *Doctor* richten. Adducunt quidem quaedam

An Carnifex medicum agere possit.

DOEPLER. *P. I. cap. VI.* §. *LXXII.* et FROMANN. *de leu. notae macul. th. 59.* atque LVCIVS *de damno famae declinando et reparando. §. fin. p. 44.* sed statuunt solum, numerum illum iugulatorum, quem ad CCC ponunt, carnifices ab omni, si quam haberent, macula liberare, quod ausrichten oder loerichten, appellant. Sed cum Doctorem inde euadere, quis est, qui vnam saltem rationem conuenientem reddere valeat? Nam cum *a. l. 2. C. de dignit.* vti et WALTHER *de priuil. Dd. cap. IV.* §. *37.* docet, carnifex doctor fieri aut creari non possit, multo minus talem dignitatem et honorem, eo abiecto labore, consequi vlla ratione poterit, siquidem *Dd.* scientia longe a facultate capita deiiciendi aut cruci affigendi, diuersa est. Quod vero carnifex simul vulnerum sanationem curet, atque Chirurgum agat, docet quidem DOEPLER. *c. l.* §. *LXXXIV. n. 7.* Sed quo iure id fiat, me ignorare fateor. Inde LVDOVICVS HÖRNICK, *in Polit. Med. d. 18.* §. *14. p. 187.* merito hanc consuetudinem reprehendit, dum scribit: Die Abdecker wollen bisweilen Apothequer seyn: Aber solches ist unrecht, sie möchten bey ihrem Menschen-Fett und Hunde-Schmaltz bleiben, denn einem Gevolsterten die Glieder wieder einrichten, ist nicht, die Kranckheit verstehen und denselben helffen.

Carnifex certo numero iugulatorum se liberat a macula.

§. XVIII.

Venio nunc ad id, quod quasi priuilegium sibi vindicat carnifex, nempe vbi, *se accipere ex propricidio omne id, quod in loco delicti huius commissi stans infra, supra, sursum, deorsum, in circumferentia gladio attingere posset*, asserit. Iniustitia vero huius postulati patet praecipue ex iis, quae LVDOVICVS peculiari dissertatione, *de iure Carnificum in bona propricidarum* adduxit, aliqua tamen argumenta adferre licebit pro refutando hoc carnificis, quod postulat, iure. I. Legibus neque ciuilibus neque publicis vnquam tale ius concessum est carnifici, vbi vero leges silent, et nobis tacendum est, sine lege enim loqui erubescendum. *Nou. 18. c. 5.* II. talis consuetudo esset contra aequitatem et vergeret in praeiudicium

Carnifex ex propricidio acquirit nihil

et probatur argumentis

I.

II.

dicium eorum, quibus nullum imputari potest delictum, quique ipsi minime peccarunt, legibus vero saluberrime cautum est, ne quis ex alterius damno commodum, alter vero detrimentum sentiat. III. Haec sententia nostra est praeiudiciis firmata. v. STRYCK. *in* V. M. *tit. de bonis eorum qui ante sententiam mort. sibi.* vbi profert responsum: So ist zwar nicht ohne, daß von den Scharff-Richtern diese Gewohnheit *allegi*ret wird, daß, wenn einer sich selbst entleibet, alles dasjenige, was der Scharff-Richter mit dem Schwerd erreichen kan, ihme zukommt. Weiln aber solche Gewohnheit niemals erwiesen, auch überdem gantz ohne *Ration* ist; Dann wann ja ein Selbst-Mörder eines Theils seiner Güter beraubet werden solte, so würden dennoch selbige nicht dem Scharff-Richter, sondern der Obrigkeit, als welcher die Straffe gebühret, zufallen, so ist der Scharff-Richter mit seinem ungegründeten Suchen billig abzuweisen. Ex iisdem rationibus carnifex frustra praetendit vestimenta illius, qui statim post torturam moritur. Sic *pronunc. F. I. V. M. Aug. 1723. v. de* WERNH. *Enunc. P. I. En. CCXLVI. Conf. Ord. Crimin. art. CCXIIX.* vbi variae eiusmodi consuetudines irrationabiles referuntur. Interim tamen suadent CARPZ. *P. I. q. 2. n. 32.* et STRYCK. *de Iure sensuum, disp. 7. c. 3. in fine*, obseruandas esse consuetudines. Quod et CARPZ. praeiudiciis confirmat, vbi inprimis respondit SCAB. LIPS. *An. 1638. Mens. Mai.* Er könnte denn darthun und beweisen, daß bey dieser Stadt, sein Vorgeben durch eine beständige Gewohnheit hergebracht, und über Recht verwährte Zeit unverbrüchlich gehalten worden, dessen genösse er auf solchen Fall. *et M. Mart. 1622.* vbi verba: Es wäre denn im Amte Weißenfels durch eine beständige Gewohnheit hergebracht, und über Rechts verwährte Zeit unverbrüchlich also gehalten, daß dem Meister, welcher die Personen abhauen und an gewöhnlichen Ort schaffen muß, alles dasjenige, was über, unter, um und neben denselbigen Personen, so weit man mit dem Schwerd reichen kan, befunden wird, gefolget worden, deßen genössest du auf solchen Fall billig. Interim tamen notandum hanc consuetudinem ab allegante probandam.

III.

Consuetudines tamen obseruandae sunt.

Plura *vid.* apud DOEPLER. *P. I. Cap. VI.* §. *LXXXV.* Quae vero merces carnifici soluenda sit pro propricida extrahendo docet BEIER. vom Hencker-Gelde. *Cap. II. per. tot.* et nouissime in Electoratu TAXA *Sportularum d. A. 1724. Tit.* Derer Gerichts-Frohnen-Land- und Stadt-Knechte, auch Nach-Richter-Gebühren.

§. XIX.

Carnificis liberi artes liberales addiscere possunt. et

ad opificia sunt admittendi.

accipiunt litteras natalitias.

Praeterea monenda videntur quaedam circa liberos carnificis, ibi controuersia oritur: *An carnificis liberi artes liberales tractare, et ad opificia admitti, litterasque natalitias postulare possent?* Quod ad primum attinet, *an liberales artes tractare queant?* forsan nemo est, qui dubitat, siquidem inde dicuntur, quod a quouis libero *seu* ingenue nato homine addiscuntur, nemo vero libertatem, seruitutibus sublatis, carnifici aut eius liberis denegabit; inde etiam MYLIVS *c. disp. C. VI. §. 13.* statuit, carnificis filium doctoratus dignitatem posse acquirere, quod tamen limitibus alii circumscribunt. *v.* EYLENB. *de Iur. Carnif. C. VI. §. 13.* et WALTHER. *de priu. Doct. C. IV.* §. *37.* Quod vero ad alteram quaestionis partem pertinet, *an ad opificia admitti possit carnificis filius?* operarii plerumque se opponunt. At, cum eiusmodi liberis nulla generationis atque conceptionis culpa tribui queat, atque non de externo, sed de animi facultatibus, eorumque habilitate iudicandum sit, merito affirmatur, carnificis filios ad opificia certe admitti posse. Hoc quoque confirmatum est in *Mandato* wegen Abstellung derer bey denen Handwercken eingeschlichenen Mißbräuchen, *sub dato* Wien, den *16. Aug. 1731.* § *4. v.* RICHTER. *P. II. Dec. 8. n. 644.* Quare etiam eiusmodi pueris *litterae natalitiae*, Geburths-Brieffe, dandae sunt. *v.* WEHNER. *Obs. v.* Zunfft. BESOLD. *L. I. Polit. c. 12. th. 24. n. 3.* negat quidem hoc HENRIC. LINCKER *de lit. natalit. C. III. §. 19.* et CALVIN. *in Lex. Iurid. v. Carnifex.* Alii tamen litteras natalitias non denegant, sed solum scribi volunt: daß er aus richtig vollzogener Ehe gezeuget, haec vero verba: Von ehrlichen Eltern, omittenda putant. *v.* EYLENBERG.

LENBERG. *c. diff. c. VI.* §. 10. et DOEPLER. *theat. poen. Tom. I. cap. VI.* §. *LXXIX.* vbi etiam eiusmodi litterarum natalitiarum formularia adducit. Quod tamen potius, vti mea fert sententia, de *excoriatorum* filiis dicendum, quam de *carnificum*, quippe quibus, vti supra demonstratum est, nulla iure macula tribui potest. Hinc, quum opificum aliquis animum induxisset, carnificis filiam sibi matrimonio iungere, nullam inde maculam aut labem ipsi metuendam esse, respondit *F. I. V. M. Dec.* 1715. *v.* integrum praeiudicium *apud* DE WERNH. *Vol. III. P. IV. obs. CVII.* Notatu dignissimum vero casum adducit BERGER. *P. II. Suppl. ad E. D. F. Consil. Cent. III. Cons. XXIIX.* vbi Agricolae cuiusdam vidua carnifici nubet, qui vt vitricus priuignum, quem coniux ex primo matrimonio pepererat filium, educat, quique in pueritia praesto fuit excoriatoribus. Is dein cum parum adoleuisset vitricum relinquit atque rotarum opificium addiscit. Cum vero e doctrina dimissus iter, quod apud opifices obseruatur, vulgo die Wanderschafft susceperat, reliqui rotarum opifices status controuersiam, et huic puero et eius opifici magistro mouebant, ambobusque opificii exercitium denegabant. Huic vero rei obicem posuit sententia, quam pronunciauit *F. I. Vitteb. Mens. Iul.* 1683, quae et magistrum et puerum liberat, reliquisque opificibus sub poena *aut* carceris *aut* pecuniae turbationes prohibet. *

 §. XX.

* Non vero tantum ad opificia honesta addiscenda carnificum filii sunt admittendi; sed etiam, si vitae probitas ingeniorumque praestantia in iis deprehendatur, gradus doctoralis, ipsis petentibus, conferri solet. Fecit id (*habito prius ICtorum consilio*) non adeo diu Facultas medica Argentoratensis, quae binis vicibus filiis carnificum summum in Medicina gradum contulit. Quam promotionem tamen Collegium medicum Ratisbonense, (*quoad* secundum, *qui excoriatoris Ratisbon. erat filius*,) in dubium vocauit, responsaque pro se impetrauit, vti referunt Collectores der Breßlauer Sammlungen, *Mens. Dec.* 1719. *Class. VI. art. I. p.* 748. *Item, Mense Martio* 1721. *Classe VI. art. III. p.* 336. Obiectionibus vero factis obuiam iuit, satisque erudite illas remouit Rector. *Accad. Argent.* IO. GEORG. SCHER-

§. XX.

Carnifex admittendus est ad sacram coenam.

Sed vt tandem finem scribendi faciam, vltimo loco adhuc quaeritur: *an Carnifex ad sacrorum vsum admittendus sit?* Inutile esset hic quaedam pro negatiua adducere; Siquidem ex sanctissimis religionis nostrae principiis nemini, qui seriam agit poenitentiam, seque emendandi animum habet, sacra deneganda sunt. *Seruator* enim noster *sanctissimus*, eiusque apostoli hic nihil dicunt, quenquam ob officium, bene tamen ob malitiam a sacrorum communione excludendum esse. *v.* STRYCK. *ad* BRVNNEM. *ius ecclesiast. L. I. c. VI. membr. 4. §. 13.* atque KOENIG. *Cas. Consc. tit. de sacra coena, c. 16.* Quod reliquum est. L. B. si petere licet, rogatum volo, vt si qua a me minus recte dicta sint, id bono animo humanitati, meaeque imbecillitati tribuat, eaque benignissime excuset.

NOBI-

SCHERZIVS, I. V. D. et P. P. in *peculiari Programmate*, hac de controuersia die 2. Dec. ann. 1719. publicato. Recensetur hoc *a dictis collectoribus* verbotenus, *Mens. Sept. 1722. Class. VI. art. II. p. 350. seq.* Bilem hoc mouit *collegio Medico Ratisbonae.* Hinc diffuse admodum, *alio Programmate*, *die 20. Ianuar. 1720.* Ratisbonae publice ad istud respondit, quod iterum *a dictis collectoribus* ad verba, *M. Dec. d. a. 1722. Class. VI. art. V. p. 720. seq.* insertum legitur. Vt notabile in his perlegendis obseruauimus, quod (vti art. I. Class. VI. ann. 1719. p. 749. patet,) *Facultas Medica Ienensis* ad quaestionem Ratisbonensium, respondere noluerit, forsan arg. l. 27. ff. qui test. fac. poss. mota. Tetigit paucis hanc controuersiam BARTH. *in Hodeget. forens. edit. nou. p. 1066.* n. 6. carnificum liberos autem infames aut leuis notae macula notatos esse, late negat THOMAS. in denen *Juristischen* Händeln. P. I. No. 2. §. IX. p. 155. seq. dissentit BERGER. *Oecon. iur. edit. nou. p. 70. n. 9. Idem. in E. D. F.* tit. XXXVI. obs. I.

NOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO

DOMINO

RESPONDENTI

PRAESES.

Disputationem TVAM, forsan quidam, (vt cum *Nepote* loquar,) *leue genus scripturae et non satis dignum SVMMORVM VIRORVM personis, quibus hanc consecras, iudicent. Qui vero tam sinistre sentiunt,* aut *ingenio abundant,* aut *ipsi iudicium expectant. Eligant sibi alii, loco disputationis, legis alicuius obscurae explicationem, cuius vsus minime adparuit* nec *adpariturus est, et circa quam mille Doctorum dissensus, nullo modo conciliandi, deprehenduntur. Inquirant alii subtiliter* de sella Praetoris Romani, *quam habuerit figuram? similesque proferant quisquilias; Hi quidem,* iuxta nonnullos, *genio seculi se quodammodo accommodant, longissime autem ab vsu fori recedunt. Argumentum de quo disputas, vile non est. ICti magnae auctoritatis, quorum mentio-*

* * *

mentionem facis, circa hoc occupati fuere. Nec etiam nimis tritum est. Euoluenti multorum Doctorum grandia responsorum, consiliorum, decisionum, etc. volumina, pauca, vel plane nihil ibidem de hac materia reperiri, facile constabit. Dum itaque TIBI placuit diligenter ea, quae de hoc argumento sparsim ab aliis tractantur, colligere, operam bene collocasti. Sunt etenim carnifices iuxta SYNESIVM Epist. *XLIV.* manus legum. *Et,* monente ZAHNIO in ichnograph. iur. municip. c. XXXIII. n. 5. *fine carnificibus* nec *Magistratus*, nec *Respublica consistere potest: Dum enim hi* vel *iussu Principis*, vel *iudicis auctoritate exsequuntur sententiam, prouinciam malis hominibus purgant. Facessant igitur omnes, qui non optime de argumento dissertationis TVAE iudicant. Ego sane cum bonis omnibus de profectibus, quos in iuris scientia feliciter fecisti, TIBI gratulor, et vt industriae TVAE fructus breui sentias, animitus voueo. Scrib. Lipsiae* e Museo, Mens. Mai. *A. R. S.* CIↃ IↃCC XXXXV.